

voluisse, ut eas ederet, quas corruptas a candidato criminaretur. Hic vero Laterensis noluerat ipsas edere, quibus dicebat pecuniam datam, utique consulte, ne reo, a quo pecuniam sumpserant, favore tacito patrocinaerentur. Quasi
 5 negare itaque temptavit accusari posse lege Licinia Plancium, quando sint aliae tribus editae nec illae potissimum, quae sumpsisse pecuniam dicerentur et quas ideo vel maxime senatus edi voluisset, ut et iudicarent et testimonium vel contra reum vel pro reo ex ipsa veritate
 10 perhiberent, quia sine dubio, quid esset aput tribules suos gestum, optime scirent.

Aput eosque me ne quinque quidem reiectis, § 40. quod in proxumo reo de consilii sententia constitutum est, cogas causam dicere.

15 Iam de sodaliciis causam dixerat P. Vatinius eodem defendente M. Cicerone. Cuius exemplo negat iniquitate Laterensis esse Plancio permissum quinque saltem iudices reicere, quo manifesta sit improbitas obstinate contentis inimici, ut reus innocens opprimatur conspiratione magis
 20 iniquorum iudicum quam criminis veritate convictus.

Non enim si aut Plancius ita vixit, ut offenderet sciens neminem, aut tu ita errasti, ut eos ederes imprudens, ut nos invito te tamen ad iudices, non ad carnifices veniremus, idcirco ista
 25 editio per se non acerba est.

Periculosius aliquantum fuerat euectus, ut hoc dicendo: 'voluisti Plancium, Laterensis, aput inimicos iudices accusari' offenderet animos eorum, qui erant de causa pronuntiaturi. Vigilanter itaque illum quidem hoc animi
 30 habuisse testatus est, ut reus iniquis iudicibus uteretur, sed fortunam multo prosperius secundasse, ut viri spectatae humanitatis et incorruptae religionis in hanc cognitionem venirent, quae innocenti reo obesse non posset.